



Bilibaldus Norinbergę honestis parentibus natus, & in omni genere literarum & uirtutum optimè educatus est. Is cum domi literarum rudimenta didicisset, hinc inde in Academijs artibus discendi incubuit, atq; in primis Historiarum lectioni sedulo operam dedit. Itaq; factum ut magnam eorum sibi notitiam compararit, atq; uiris doctis gratissimus extiterit. ad hęc eius eruditionem accedebat uitę integritas atq; prudētia singularis. Id cum Maximilianus Cęsar cognouisset, hunc Bilibaldũ in suam Curiã recepit, inter cõsiliarios adoptauit, atq; multoties de rebus preteritis familiariter cum eo contulit. Postea quoq; Senator Norinbergęnsis

electus, in ea repub. in magna authoritate, & in primis Erasmo Roterodamo ob multifariam eruditionem familiarissimus fuit. Scripsit Bilibaldus Germaniæ ex uarijs autoribus perbreuem explicationem: præterea de priscorũ numismatum, ad Norinbergensis monetę ualorem, æstimatione. Xenophontis quoq; libros septem rerum Gręcarum latinitate donauit. pari ratione Orationes 30 Nazianzeni ex Græco uertit, atq; etiam quædam Ptolomæi & Plutarchi transtulit, & commentarijs illustrauit. quin etiam ad Oecolampadium de uera Christi carne & uero sanguine in Eucharistia scripsit, atque libellum 1526

Norinbergę edidit. Cum hoc modo sibi magnam authoritatem suis lubricationibus comparasset, tandem obiit, atq; apud suos honorificè sepultus fuit. Con. Gest. Eras. in Epist.